

11606
Doc 4

VOTUM PRO COETU " DE LAICIS."

I) Ea omnia infra relata, quibusdam submittuntur intentionibus quas, antequam operam nostram aggrediamur, sat elucidatas futuras esse, in corde exoptamus; scilicet:

a) utrum labor Commissionis specificus, re vera sit ad novam Codificationem, saltem quod ad laicos attinet, aut adhuc vigentes canones, eorundem manente structura ac formulatione, tantummodo recognoscere;

b) utrum a statutum canonis l actualis Codicis, nostris praeesse debeat laboribus aut potius agatur de Iure sic dicto Constitutionali instituendo, quod validum sit pro Ecclesia Catholica uniuersa.

II) Canoniam de Laicis legislationem, in ecclesiologia e Constitutione "Lumen Gentium" profluente, fundatam omnino in votis habemus, quam decretum "Apostolicam actuositatem" in applicationem concretam tradere intendit; praedicti quoque decreti ita vindicanda est doctrina, ut nos ipsomet expresse moneamur: "...quae omnia tanquam norma habeantur in recognoscendo iure canonico quod ad laicorum apostolatatum attinet" (n^o 1). Reliquarum quaestionum ad eorum apostolatatum non respicientium sapienter inspiratio exquirenda erit ceteris etiam S. Concilii Vaticani II documentis, praesertim Constitutione "Gaudium et Spes", atque ex illorum sententiis, doctrina et statuta coordinanda.

III) In agendo de apostolatu laicorum, haud paruum adiutorium, meo humili iudicio, Coetus adipisci posset si, praeparationem, coadunationem ipsam ac demum definitivas sententias ("conclusiones") Tertii Congressus Internationalis de Apostolatu Laicorum ad Romam pro anno venturo convocati, aliquatenus inspicere possibile sit.

IV) Cum relationes laicatus Ecclesiae erga clerum in considerationem veniant, adest nobis principium quod "ad educandos homines ad maturitatem christianam consequendam" (Praesb. Ordin. 6) intendere debemus.

Sacri quippe canones expeditam viam ut evolutio collectiva laicorum ad veram maturitatem in Ecclesia pervenire possit, pandere debent, etsi periodus transitionis, tanquam illorum adulescentia, aliquatenus difficilis futurus, possit a nonnullis praevideri.

Huius immediata consequentia esset quod labor Coetus nostri non solum ad determinatam Sectionem vel Titulum, verum etiam ad ampliorem conspectum uniuersi Codicis "sub specie laicorum", aliquo determinando modo, apte instauratur.

Quoad materialem structurationem Codicis videretur opportuna singillatim describere, pro unoquoque themate, quid tribuatur competentiae: a) Sanctae Sedis; b) Conferentiae Episcopalis aut Antistitis Diocesanis; c) Parochi et Clericorum in genere; ac, d) Laicorum, quae omnia tanquam parallela lineamenta ("niveles paralelos") universum Codicem transirent sicque permetterent practicum facilemque usum sacrorum canonum, praesertim ipsis laicis, plerisque nescientibus canonicam disciplinam.

Eodem innixus argumento, praedicta scilicet coordinatio thematum, humiliter existimo quod "Normae Generales" a cunctis Coetibus perpendi debuissent, eo quod ad universas eorundem materias incumbunt.

V) Processio "ad maturitatem" christianam, quod tanquam verum ius populi christiani apparet, ostendit graves deficientias et lacunas in laicorum formatione, quod incidit, inter alia, in defectionibus collectivis, in determinatis grossibus ("etapas") vel circumstantiis ambientibus vitae hominum. Re vera in nostris regionibus quae esse vindicant tanquam christianae, plerique baptisatorum, v. gr. a praxi dominicali Missae absunt, nihilo minus aliquoties in vita adhaesionem explicitam Ecclesiae ostendunt. PATRIMONIO UC

Sic nobis apparet quaedam "selectio naturalis" in populo christiano, peracta ex situationibus plus minusve alibi similibus, intra variabilem quemdam ambitum marginales.

Decretum "Christus Dominus" (n. 218) ac Mot. Propr. "Ecclesiae Sanctae" (n. 29) perpendunt has diversas laicorum christianorum "situationes" (migrantes, nomades, aestivales peregrini ("veraneantes"), etc., ac pro illis peculiarem assistentiam proponunt. Alias quoque gravissimas "situationes" ubique in nostris regionibus contingunt: mundus operariorum vel agricolarum operariorum - civilitas "urbana" in magis urbibus: his omnibus et multis aliis occurrentibus, Sacra Hierarchia consilium debet modo opportuno et realistico.

Praeter has, perspiciuntur etiam gressus "aetatis" in christianis: his quoque responsus Matris Ecclesiae aptum desideratur: pueritia; mundus iuvenum, quorum munus in mundo moderno necesse non est hic perpendere, cum omnibus illorum characteristicis peculiaribus uniuscuiusque aetatis (cf. Ap. Act. 12; Gaud. et Sp., 7).

Attentio nostra deberet dirigi ad illos communiores gressus et quidem elementali tantummodo consideratione, ne forte in nimio institutionalismo incidamus, et quidem animo potius fratres deserviendi quam innecessario alligandi.

Sancta Synodus quaedam iam praenittit in hoc sensu tum per explicitam mentionem de cathecumenatu adultorum in regionibus missionum ("Ad gentes" 14) tum per desiderium praedictum cathecumenatum, modalitatibus postea determinandis, ubique instaurandi ("S. Conc. 64).

Etiam pro pueritia, eadem S. Synodus aliqua statuere curavit, praesertim liturgice muneri obsequendo, e. gr. baptismus parvulorum "verae infantium conditioni accommodandus" eorumque ritus exsequialis adaptatione recognoscendus (ibid. 67 et 82). Demum in Mot. Propr. "Poenitenti", aetatem pro observantia abstinentiae carnis ad decimum quartum annum exivit simul praescribendo quod educatores, adaequatam formationem tribuant alumni, ita ut verum spiritum poenitentiae, a teneris annis adipisci valeant (M.P., IV).

Nostrum esset perpendere : a) quibusnam criteriis generalioribus, praedictorum "gressuum" possimus convenire;

b) quatenam sint communia omnibus baptismis et quae possint adscribi, uti peculiaris participatio in triplici munere Ecclesiae, illis qui in determinatis gressibus connumerentur;

c) quamnam peculiarem assistentiam unusquisque horum gressuum expostulet; ex hac, qualia essent stabilienda a localibus auctoritatibus (Praesuli diocesano vel Conferentia Episcoporum); instaurationis ab illis verae praxis pastoralis adaptatae;

d) character optativus vel obligatorius erga omnia haec;

e) si ratio sit de gressibus instaurationis iuxta aetatem (praesertim puerorum ad adolescentiam et deinceps), utrum conveniat instaurationis alicuius ritus ecclesiastici qui hunc transitum, ab uno gressu ad alium superiorem, aperte ostendat.

Decretum "Apostolicam Actuositatem" invitat laicos christianos ut "... sua reddant opera missionaria, auxilia materialia vel etiam personalia praestando" (n. 10), quod ansam praebet considerandi utrum oporteat instaurare modum quendam structuralem per quem laici, voluntario modo, possint sese consecrare apostolato Ecclesiae universae ad tempus, sed stabiliiori forma ("full time") tum in ipsorum regionibus tum etiam in dissitis regionibus in peculiari adiumento episcoporum et cleri, secundum ipsorum christianam et technicam competentiam. Quae omnia supponerent: - requisita - adaequata institutio - assistentia - peculiaris participatio in ministerio Ecclesiae, praesertim in Verbo Dei nuntiando. Insimul inspiciendae essent, generaliori modo, quaedam de illorum conditione oeconomica pro tempore consulenda.

VI) Promotio foeminarum, quae uti signum temporum vindicatur ("Pacem in terris", AAS., 55, p. 267), locum habeat oportet in canonicis Ecclesiae legibus (cf. Apost. Act. 9). Praesentia mulierum, sub invitatione Romani Pontificis, quae uti auditrices Concilio Vaticano II adstiterant, novum horizontem muneris laicorum in Ecclesia ostendit, cuius progressum sapiens erit recte promovere. Doctrina S. P. Pii XII, f. r., de promotione foeminarum (cf. praesertim AAS., 37, p. 292; 48, pp. 779 ss.),

*in oblatione
aliquorum
ad locum
in fine
aliquorum
ad omnes
in quibus
1965:
a la
de la
10-12-
MS.
v. p.
et in
omnino
quibus
de responsab. de
com. generalis
de mundo
ultimo: D. P.
1444/55755-*

videtur inserenda immo et actualisanda iuxta conciliarem doctrinam de Populo Dei qui est Ecclesia, et ea de persona humana .

Peculiaris participatio mulieris in ministerio Ecclesiae iuxta conditionem eius, erit perpendenda una cum aliis criteriis iam expositis vel infra exponendis:

-in ministerio liturgico: quidam aspectus in cc. 742 & 2 et 743 perspecti, ampliari possent ad alia, praesertim ad servitium personarum eiusdem sexus, in penuria sacerdotum vel iuxta alia principia in Normis Generalibus stabilienda. Earundem munus esset sat utilius si ampliori modo stimularentur in illis quae musicam sacram, artem et cantum respiciunt.

-in ministerio Verbi: parentibus et speciatim matribus familias, posset tradi officium pueros catechizandi uti munus proprium quod, subsidiario modo, alii possint assumere.

Productio litteraria librorum, ephemeridum, aliarumque publicationum tum de thematicis ad mulieres attingentibus tum etiam de aliis, iisdem magis esset commendanda.

Cooperatio illarum erit certo certius favorabilis ut instructiones, conciones, exercitationes spirituales ad mulieres et praesertim ad adolescentulas vel nupturientes destinatae, melius ipsis adaptentur. In elaborandis quibusdam criteriis moralitatis vitae quotidianae, mulieres adiutorium praeclarum, sacrae hierarchiae possent praestare.

-in ministerio pastoralis: quidam sic dicti "servitii" Ecclesiae, possent commendari mulieribus modo progressivo: assistentialis labor pro infirmis, servitium socialis pro quibusdam concretis necessitatibus, munus consiliariis ("asesora") associationum feminilium.

Haec omnia referens, nihil speciatim de religiosis foeminis perspecti cum ad nostra non pertineat; attamen, existimo quod stimulanda esset collaboratio inter religiosam et mulierem christianam ut, communi adiutorio, feliciter in exitum ducere possint munera illarum in Ecclesia.

In "specie laicorum" de qua supra (n. 21 V), videtur inserenda subdivisio quaedam, quando sit opportunum, de peculiari munere mulieris in ministerio Populi Dei.

Quaestionem theologico-scripturasticam supra competentiam meam, tantummodo enuntio: quale sit verum momentum sententiae paulinae in I Cor. 14, 34, qua imbuta, ecclesiastica traditio vindicavit incapacitatem foeminarum ut ad aliquem gradum servitii cultus legitime deputari possint. Meminem fugit quod argumenta generatim innituntur in statu subiectionis qui competeret mulieri, quod iam nemo asserit nec Ecclesiam oportet sibi illum vindicare (S. Th. Suppl. 39, 1; Tertull., De praescr. 41, M. L., 2, 56; S. Epiph., M. G. 42, 742), etc.

VII) Duplex ius laicorum ad Ecclesiam ac ad Societatem temporalem implicat ipsorum activam responsabilis insertionem in utroque; imo et praesentiam Ecclesiae in mundo temporali, communiter laici partefaciunt. Capitibus 2 et 4 Constitutionis "Lumen Gentium" ac numeri 9 et seq. inhaerendo; decreti Apostolicam Actuositatem", patet maiore cum claritate in futuro Codice oportet adducere:

a) quatenus sint munera laicorum peculiaris in triplici ministerio Populi Dei, in intimo communitatum ecclesiasticarum (parociae-diocesis-in ambitu ecclesiae ampliori: nationis-continentis vel mundi universi);

b) Ad alios Coetus Commissionis pertinet statuere munus proprium ac irrenuntiabile pertinens ad Sacram Hierarchiam et Clerum in intimo quoque ecclesiasticarum communitatum;

c) Dantur tamen loca sic dicta "intermedia" ubi munus tum laicorum tum hierarchiae (et cleri) modo subsidiario potest aliquando occurrere; haec praedicta loca "intermedia" pro cleris enuntiata ("Lumen Gentium" 31), etiam pro laicis edocentur a Concilio: "(laici)... aptitudine gaudent, ut ad quaedam munera ecclesiastica, ad finem spirituales exercenda, ab Hierarchia adsumantur" (ibid. 33), hoc modo fit differentia cum illis numeribus quae sunt propria laicorum, circa quae S. Hierarchia hortatur ut "animum eis addant, ut etiam sua sponte opera aggrediantur." (L.G. 37).

d) Laicos, quorum "saecularitas" est quaedam ipsorum peculiaritas (L.G. 31), propter Ecclesiae apostolatum in mundo temporali, missionem propriam, ac responsabilis, tenere.

Hic etiam, sicut in loquendo de communitatibus ecclesiasticis, oportet adducere:

- quae sint relationes hierarchiae cum laicis ac quae sint munera propria unicuique.

VIII) Super novam structuram Codicis propone studio Commissionis possibilitatem ut canones inserantur ut corollarium Constitutionis "Lumen Gentium", etiam, qui dissertant de quibusdam argumentis specialibus, ut corollarium documenti conciliaris convenientis, quando hoc videatur opportunum.

Sic praeberetur relatio inter doctrinam sollemnem Concilii et vitam Ecclesiae regendam suis legibus; insuper forma ista adesset consona cum tota antiqua traditione ad leges ecclesiasticas pertinente ac praebet Codicem Iuris Canonici in fine laborum, ut triplicis metae summa quam S.P. Joannes XXIII f.r., die 25 ianuarii 1959 nuntiavit, una cum Synodo Romana et Concilio Oecumenico.

IX) Agendi ratio pertinens ad laicos christianos cum Hierarchia, firmanda esset "per statuta ad hoc ab Ecclesia stabilita" (L. G. 37): laicorum forsitan Consilium, virorum mulierumque vere repraesentativorum populi christiani ac societatis temporalis, iuxta condiciones stabilendas: tum in ambitu diocesis tum regionis vel nationis (coram aëcil. Conferentia Episcopali correspondenti). Praedicti laicorum Consilii una cum illius Praesbyterorum (Christus Dominus; 27; "Praesbyt. Ordinis; 7) aëstructuratio, modo parallelo posset perpendi.

In Met. Propr. "Ecclesiae Sanctae" (16 & 3 et 4), sermo est de Pastoralis Consilio cui laici interesse possunt.

Consulendum nobis erit utrum istud Consilium posset tamquam organismus superior diocesis teneri, cuius caput erit semper episcopus, et quidem pro rebus generalioribus consulendis quae totum populum christianum in illa Ditione respiciant; pro ceteris quae potius attingant tum ipsos praesbyteros eosque solos, tum laicos eodem modo, competentia tribuenda esset praedictis peculiaribus Consiliis, praesidente Episcopo; saltem fundamentalia iura et officia istorum, in Codice essent clare stabilita.

X) Fluries S. Synodus praecularis documentis edocet patrum familias indispensabile munus ac iura quae ipsis competunt modo quidem inalienabili: in constituenda educatione filiorum, in libertate religiosa et vita intima familiari, etc., quae omnia iam aliquatenus in actuali Codice inveniebantur (cans. 756 & 1; 854 & 4), quaeque in nostro labore sunt consideranda. 1335:1034

Hoc forsitan haberi posset tamquam initium cuiusdam "consecrationis" aliquarum realitatum structuralium tum Ecclesiae tum mundi temporalis.

Intra condiciones stabilendas, posset perpendi peculiaris participatio familiaris vitae in iam praedicto triplici munere Ecclesiae: tanquam mera exempla, sequentia proponuntur:

-in cassibus qualificatis, liturgie aliqua familiaris posset sufficere ad sanctificationem diei dominicae, loco participationis Sacro-

-etiam extraordinario modo, pater familias posset ministrare Baptisma suis neonatis filiis (expungendo can. 742 & 3);

-participatio in ministerio Verbi posset elucere, praeter alia, in cathechesi commendata tum parentibus tum matribus familias quibusdam, praesertim in regionibus ubi absentia sacerdotum maior sit.

Etiam mediantibus organis, vel alio modo, de quibus supra, possint sese referre ad hierarchiam et inter seipsos coordinare.

In memoriam tradendum est favorabile exitum ab Episcopo Bruggiensi in Belgica, qui tribus abhinc annis, Litteras Pastorales divulgavit de vita familiari quarum praeparationi 2.400 circiter conjugati dioceseos modo directe interfuerunt.

XI) Definitio "laici" ,supponit praeviam elucidationem a theologis acquisitam;attamen iam exnunc aggredi posse nos videtur revisionem canonis 87,illa de personae humanae dignitate doctrina inhaerendo prout e documentis Concilii Vaticani II elucet,praesertim "Gaudium et Spes" et "Dignitatis Humanae",quae omnia,characteristicae,officia et iura,locum in ecclesiastica legislatione debent invenire,cunctis illis quoque modo contraria vel minus consona delendo,ubicumque adsit e libris Codicis.

Haec omnia Ill.uae Commissioni humiliter submitto tamquam themata in proximo conventu tractanda,ubi argumenta fusius et discutere et clarescere poterant.

Sac.Ferdinandus Metamal F.
Consultor

PATRIMONIO UC